



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

IV. S. Udalrici Episc. & Conf. Dup.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

rum, ac decem adeò millium numerum complevit; Qui omnes tum spinis coronati, tum acti in crucem, in monte Ararath necati sunt, & voce de cœlo delapsâ ad æternæ vitæ præmia vocati, quorum corpora ibidem ab Angelis sepulta fuerunt.

R. Tamquam aurum.

IN III NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium.* Cum audieritis prælia, ut in *comm. plur. Mart.*

*Nona Lect.* (ex 2. una) & *com. S. Paulini Ep. Conf. in Laud. & Missa.*  
Intret.

*Die II. Julii.*

VISITATIO B. M. V.

Duplex Majus celebr. in Diœces. Paderborn, Dominica sequenti.

*Die IV. Julii.*

S. UDALRICI EPISCOPI

CONFESSORIS,

Duplex

*Omnia de communi Confessoris Pontificis præter sequentia.*

Ora-

*Oratio.*

**D**eus, qui nos annuâ Beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius; ut ejus suffragantibus meritis ab imminentibus periculis liberemur, & æternis gaudiis perfruamur. Per Dominum.

*Lectioes I. Nocturni de Scripturâ occurr.*  
IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**U**dalricus, natione Germanus, Dilingæ Rhetiaë Provinciaë, Hubaldo, Ottonis secundi Imperatoris cognato, & Dietburgâ Burchardi Ducis Sueviaë filiâ, parentibus nobilibus, ortus, puer monachis sancti Galli, studiorum & virtutum gratiâ, educandus traditur. Ubi se religionis voto obstrinxisset, nisi revelatione divinâ, Beatæ Viberatæ virgini factâ, de se majus quid Deum providisse cognovisset. Itaque relicto monasterio, domum rediens,

com-

commendatur Adalberoni, Episcopo Augustano. Udalricus non longè post Romam, sanctorum Apostolorum limina visitaturus, profectus, à Pontifice maximo audivit, se Adalberoni mortuo in Episcopatu successurum. Sed ille quo major, eo humilior, ubi se animamque defuncti Præfulis, lachrymis Deo & sanctis Apostolis commendasset, clam secedens, honorem istum subterfugit. *ꝛ. Inveni David.*

*Lectio V.*

**V**erumtamen divina fuit & certa prædictio Pontificis. Nam Hiltino, Adalberonis successore, quindecim annis post, universæ quoque carnis viam ingresso, Regis Henrici, totiusque populi studio, Augustanæ præficitur Ecclesiæ. Factus igitur Episcopus, totum se contemplationi dedit & sacrae lectioni: interim nihilominus, velut pastor bo-

nus,

nus, summâ curâ ac sollicitudine  
 ovibus suis invigilabat. Quas, tum  
 sæpiùs visitando, tum quibusvis in-  
 gruentibus periculis confirmando,  
 adeò numquàm deseruit, ut eas unâ  
 secum, irrumpentibus aliquando  
 Ungaris, lupis rapacissimis, inter  
 ictus hostium, suis ad Deum preci-  
 bus, mirabiliter servarit.

Rx. Posui adjutorium.

*Lectio VI.*

**C**omponendis dissidiis, & inimi-  
 cis reconciliandis, egregiam  
 semper navavit operam. Pauperes  
 quotidie mensæ suæ adhibebat con-  
 vivas. Abstinentiâ fuit admirabili;  
 in oratione assiduus; in quâ frequens  
 pernoctabat. Lecto plumeo num-  
 quam est usus; nec lineo vestimen-  
 to, sed tantùm laneo, carnem ope-  
 riebat. Longum esset commemo-  
 rare, quàm multa ædificarit templa,  
 & quanta per eum Deus operatus  
 sit

fit miracula. Atque in his piis studiis ac laboribus obiit quinto Nonas Julii, tempore Ottonis secundi Imperatoris, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octuagesimo tertio, Episcopatus verò quinquagesimo. *R.* Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Hom. in Evang.* Homo peregrè,  
*ut in comm. Confess. Pont.*

*Missæ: Statuit. de comm.*

*Die VIII. Julii.*

**S. KILIANI COMPATRONI  
ET SOCIORUM MARTYRUM.**

Duplex Majus.

*Omnia de communi plur. Mart. præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**eus, qui sanctorum Martyrum tuorum, Kiliani sociorumque ejus, mentibus constantiam in passione aspirasti: concede propitius, ut, sicut illi, devicto persecutore,

à te